

## Sallust Bellum Iughurtinum

ante Carthāginem dēlētam populus et senātus Rōmānus placidē modestēque inter sē rem pūblicam tractābant; neque glōriae neque dominatiōnis certāmen inter cīvēs erat: metus hostilis in bonīs artibus cīvitātem retinēbat. sed ubī illa formīdō mentibus dēcessit, lascīvia atque superbia incessēre. ita ūtium, quod in advorsīs rebus optāverant, postquam adeptī sunt, asperius acerbiusque fuit. nam coepēre nōbilitās dignitātem, populus lībertātem in lubidinem vertere, sibī quisque ducere, trahere, rapere. ita omnia in duās partīs abstracta sunt, rēs pūblica, quae media fuerat, dīlacerāta. cēterum nōbilitās factiōne magis pollēbat, plēbis vīs solūta atque dispersa in multitūdine minus poterat. paucōrum arbitriō bellī domīque agitābātur; penēs eōsdem aerārium, prōvinciae, magistrātūs, glōriae triumphīque erant. populus militiā atque inōpiā urgebātur: praedās bellicās imperatōrēs dīripiēbant; interēā parentēs aut parvī līberī mīlitum sēdibus pellebantur. ita cum potentīā avāritia sine modō modestiāque invādere, polluere et vastāre omnia, nihil pēnsī neque sānctī habere, quoad sēmet ipsa praecipitāvit. nam ubī prīmum ex nōbilitāte repertī sunt, quī vēram glōriam potentiae antepōnerent, movērī cīvītās et dissēnsiō cīvīlis orīrī coepit.